



Zur  
Gräfl.vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig.

N<sup>o</sup> 1415

21  
we



13  
DIETERICI HERMANNI  
KEMMERICHII, IC.

SERENISS. SAX. DVCVM STIRP. ERNEST. CONSIL. AVLICI,  
FACVLT. IVRID. ET SCABINAT. PRAESIDIS ORDINARIJ,  
CVRIAE PROVINC. SAXON. ASSESSORIS ET ANTE-  
CESSORIS PRIMARIJ IN ACADEMIA IENENSI,  
ORDINIS SVI H. T. PRO-DECANI,

---

P R O G R A M M A

DE

QVAESTIONE:

AN IVRIS IVRANDI DELATIO  
CONTRA MATRIMONIVM  
HABEAT LOCVM?

---

DISSERTATIONI INAUGVRALI

NOBILISSIMI IVRIVM CANDIDATI

DN. IOANNIS IACOBI SORBER,  
ERFFVRTENSIS,

---

VESTIGIA IVRIS GERMANICI IN IVRE CANONICO

ET QVIDEM CAP. I. X. DE SPONSALIBVS

DE

O D I O  
IN MATRIMONIA INAEQVALIA  
ET RESTRICTO IVRE NOBILITATIS

GERMANICAE QVOD AD CONNVBIA,

EXHIBENTI,

P R A E M I S S V M.

---

IENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.



DIETRICI HERMANNI

DE REBUS  
SACRIS  
ET  
CIVILIBUS

OPUS  
M  
DE  
CONSTITUTIONE  
MAGISTRATUS


IN  
CIVITATE  
MAGISTRATUS

IN  
CIVITATE  
MAGISTRATUS

IN  
CIVITATE  
MAGISTRATUS







VM Nobilissimus Candidatus noster argumentum satis nobile, ex causis matrimonialibus depromptum, sibi elegerit, Disputatione solemnī edisserendum; operæ pretium esse duxi, quæstionem, ad causas matrimoniales itidem spectantem, nec forte prorsus ignobilem, in Programmate eidem præmittendo, paucis evolvere; præsertim, cum in compendiis juris ecclesiastici aut canonici eandem vix tactam, nedum evolutam & excussam, reperire liceat. Nimirum de *Jurisjurandi delatione* dispicere animus est, *an eadem in causis matrimonialibus quoque, & quidem contra matrimonium, locum habere queat?* qua de re recentiori inprimis ævo inter Juris Ecclesiastici, cumprimis Judiciarii, Interpretes disceptari coepit. Equidem communis Doctorem(a)

A 2

opinio,

(a) Quos inter hic, præter, Glossatores, FARTHOLVM, IASONEM, aliosque complures, ab aliis allegatos, inprimis GAILIVM *Lib. II. Obs. 94. n. 13. sqq.* BERLICHIVM *P. I. Conclus. XXIX. n. 49.* CARPZOVIVM *Jurispr. Consist. L. III. Def. 44. et Process. Civ. Tit. XI. n. 67. 73.* SVENDENDÖRFFERVM *ad Process. FIBIG. P. II. C. II. n. 607. p. 1289.* BRVNNEMANNVM *in Process. Civ. C. XXIII. n. 5. & Jur. Eccles. L. 3. C. V. §. 1.* RICHTERVM *in P. I. Decis. VIII.* SCHILTERVM *in Exerc. ad ff. t. de Jurejur. §. 14.* HVBERVM *Prælect. ad ff. t. de Jurejur. §. 8.* B. DN. DE BERGER *in Elect. Proc. Matrim. §. 23. seqq.* & L. B. DE WERNHER *in Observationibus forensibus passim; apud quos & varia rerum,*



opinio, æque ac communis Judiciorum usus, (b) jusjurandum quidem pro matrimonio, non vero contra matrimonium, atque adeo ab affirmante quidem neganti, non vero a negante affirmanti deferendum admittit. Nonnullis duntaxat, iisque cordatioribus Jurium Consultis, (c) non solum pro matrimonio, sed & contra ma-

trimo-

rerum, in Consistoriis & Dicastriis, *Dresdensi, Lipsiensibus, Vitembergensibus, Fenenibus*, aliisque, judicatarum, extant exempla, sive præjudicia, quæ vocant, ubi pronunciatum, *daß die unternommene Eyd- delation gestalten Sachen nach, und in Ansehung, daß solche contra matrimonium unzulässig, nicht statt hat*; appellare liceat.

(b) Ita enim scribit B. Dn. de BERGER in *Elect. Proc. Matrim. §. 26.* *Atque ea certa est & indubitata fori Ecclesiastici hac de re praxis, in qua merito, velimus, nolimus, conqueiescimus.* Ita etiam Vir Summus, L. B. de WERNHER in *Manuali Pand. t. de Furejur. §. 19.* ait: *Enimvero praxis contrarium principium, quod nempe neganti non possit juramentum super promissione matrimonii deferri, recepit, idemque tam altus radices egit, ut frustra quis idem eliminare tentet.*

(c) Inter quos suo merito laudo Iurisconsultos Illustres ac Celebratissimos, D. BORNIVM, in *Diss. V. de Furam. in Judic. C. IV. n. 6.* quem, Saxonie Papinianam, Dn. de BERGER & ipse hoc nomine laudat, quod jam pridem, *nihil vetare, quo minus etiam in causis matrimonialibus jusjurandum adversus matrimonium admittamus*, observaverit; BRVNNEMANNVM in *Fure Eccles. l. c.* STRYKIVM in *Usu Mod. ff. t. de Furej. §. 30.* quin & ipsum Dn. de BERGER, qui non solum in *Resolut. ad LAUTERB.* plures concessit rationes, *quamobrem non minus ab actrice reo super promissione privata matrimonii, quam super concubitu, delatum jusjurandum queat sustineri*; & in *Electis Discept. For. ad Tit. VIII. Observ. III. not. 4. p. 514.* sententiam BORNII modo memoratam approbat; sed etiam in *Oeconomia Juris Lib. 4. T. XXV. §. 5. not. 16.* primum sententiam in *Resolutionibus Lauterb.* assertam repetit, & secundum eam a *Scabinatu & Facultate Jurid. Vitemb.* aliquoties pronunciatum esse, refert; mox autem addit: *Immo parum abest, quin simpliciter, atque adeo, etiam extra casum concubitus, pro jurejurando judiciali adversus matrimonium, deinceps, dimisso veteri stylo, sit pronuncian- dum*: Denique & III. BOEHMERVM, qui in *Fure Eccles. Proceß. Lib. 2. Tit. XXIV. §. 40.* ex instituto id agit, ut verio- rem sententiam,

contra



trimonium, non solum affirmanti, sed & neganti, jusjurandum recte deferri, statuentibus. Ut autem rectius controuersia intelligatur status, de ea potissimum specie hic mihi sermo est, ubi super promissione matrimonii disceptatur, & ab altera Parte promissio rite facta affirmatur, atque adeo ad consummationem promissi matrimonii agitur, ab altera vero Parte, vel ipsam promissionem factam, vel saltem rite & ex præscripto legis, puta, consensu parentum, vel præsentibus testibus, factam esse, inficias itur: quocirca si affirmans inficianti jusjurandum in iudicio deferre præsumserit, utrum jure propitio hoc fieri queat? id quidem est, in quocirca quaestionis disputationisque hoc loco mihi vertitur. (d) Contra matrimonium jusjurandum hoc pacto deferri,

A 3

contra communem Protestantium Istorum opinionem, quæ nec jure canonico, nec solida juris ratione, nec praxi universali Germaniæ fundata ipsi videtur, ex solidis rationibus evincat.

(d) Obscurius quaestionem proponit BERLICHIVS l. c. ubi scribit: *In causis matrimonialibus an etiam potest deferri juramentum judiciale? Breviter dicendum: aut juramentum defertur ad confirmandum vel probandum matrimonium, aut dissolvendum; Priori casu delatio juramenti locum habet, posteriori non item.* Clarius controuersia statum CARPZOVIVS in Proc. Civ. l. c. ita format: *In illis (causis matrimonialibus) quoque, inquit, delationem obtinere juramenti affirmativi, pro matrimonio contrahendo, nulli dubitamus. Sed restringendum hoc est, n. 72. addit, ad delationem juramenti affirmativi. Nequaquam vero audiendus est Actor, deferens juramentum negativum Rea mulieri, matrimonium neganti; scilicet ut Rea juret, sponsalia non esse contracta. Subiungit quoque n. 73. quod juramentum hoc ad dissolvendum tendat matrimonium. Sed SCHILTERO l. c. §. 13. rem non satis explicare videtur distinctio inter jusjurandum affirmativum & negativum; quod omnis delatio jurisjurandi, in quacunque actione, qua actor aliquid petit, intelligatur fieri negative; contra si idem jusjurandum Reus referat, intelligatur fieri affirmative. Adeoque potius distinguendas esse cen-*

set



deferri, facile est ad intelligendum. Quamvis enim is, qui juramentum defert, id intendat, ut promissionem matrimonii, per juramentum adversæ parti delatum, probet:

set actiones, quæ de matrimonio dari solent, quarum una est *Confessoria*, sive *Assertoria*, ad matrimonium promissum consummandum: altera est *negatoria*, ad dissolvendum matrimonium promissum, aut irritam pronunciandam promissionem forte factam. Jam in priori actione, inquit, locum non habet actoris delatio jurisjurandi, quia utique heic negative concipitur: ratio autem hæc subest, quia periculosum putarunt Germani, arbitrio partis contumacis permittere, sponsalia dissolvere, & perjurio ansam dare. At in altera actione utique habet locum, quia tunc affirmative concipitur a Reo præstandum. Sed omnium distinctissime, etiam iudice Ill. BOEHMERO, hanc materiam tradidit, statumque controversiæ exposuit, Perillustris quondam Dn. de BERGER, qui in *Elect. Proc. Matr.* §. 23. distinctionem quidem SCHILTERI inter Actionem *confessoriam* sive *assertoriam* & *negatoriam* retinuit, sed mox ulterius distinxit. Illius, (assertoriæ) ait, iterum due sunt imprimis species: una vocatur *matrimonialis*, & tendit ad matrimonium promissum consummandum, altera vero *cohabitationis*, & comparata est ad cohabitationis matrimonialis continuationem. Circa utramque vero *assertoriam* iterum *discrimen personarum* litigantium constituendum, namque *actor*, vel *actrix*, quidem *rea*, *reave*, jusjurandum minus recte defert, cum *actor*, vel *actrix*, *affirment* matrimonium, *pro* eoque vel consummando, vel continuando, contendant, contra vero *rea*, *reusve*, negent, & adversus vel consummationem, vel continuationem, matrimonii laborent. Idque ita est intelligendum, ut non solum *reus*, *reave*, cum *non teneantur* ad jurandum, sed ne quidem, *velint licet*, admittantur. At *reus*, *reave*, utrobique vel super ipso actionis institutiæ fundamento, vel super exceptione, eaque matrimonio adversa, *actrici*, vel *actori*, jusjurandum bene deferunt, cum sic juretur *affirmative pro matrimonio*, veluti cum *rea* negat promissionem matrimonii, aut confiteretur quidem, sed adjecta exceptione doli, aut metus paterni, & desuper actori defert jusjurandum; delatio, cum *affirmative* concepta, atque a *negante* (directe vel indirecte, puta excipiendo) affirmanti facta sit, omnino valet, ita quidem, ut *actor*, vel *actrix*, non possint modo, sed & debeant jurare: modo sponsalia, in quibus innititur *actor*, fuerint obligatoria, i. e. publica.



probet: attamen si negans juramentum delatum acceptet, atque præstet: quis non videt, contra matrimonium juratum esse? Ut adeo parum recte sibi suisque clientibus consulant causarum patroni, qui ex hoc capite juramenti delationem in hujusmodi casu defendere conantur, quod ex intentione affirmantis jusjurandum pro matrimonio delatum esse causentur.

Qui neganti patrocinantur sententiæ, his fere nituntur argumentis. Regula est, ajunt, juris: in quibus causis locum non habet transactio, in illis nec jurisjurandi delatio; ne in potestate sit conjugum indissolubilis vinculi disruptio. Quis autem nescit, irritam haberi transactionem super matrimonio negativam? *cap. fm. X. de transact.* Quomodo igitur admitteretur delatio juramenti, postquam hoc cum transactione pari passu ambulat? *l. jusjur. 2. π. de jurejur.* Quod autem matrimonii vinculum sit indissolubile, adeoque per transactionem ab hominibus non dissolvendum, etiam ex verbo DEI probant, scilicet *Matthæi cap. XIX. v. 6.* ubi Servator noster edixit: *Quod Deus conjunxit, homo ne disjungat*; quod & in *c. 33. qu. 2.* relatum: unde colligunt, hoc ipso omnibus hominibus interdictum, ne mutua voluntate solvant, quod a DEO ipso est colligatum. Atque hinc esse, concludunt, quod, in causâ matrimoniali, juramentum voluntarium a parte parti matrimonium neganti, & sic contra matrimonium, deferri nequeat (e).

At

(e) vid. HEIGIVS P. II. *Quæst. XVI. n. 1-7.* CARPZOVIVS l. c. n. 76. Dn. de BERGER *Elect. Proc. Matr. §. 13.* Addunt nonnulli & alia argumenta minoris momenti; veluti, *quod parum effecti haberet negativi*





At enim vero mirari fatis nequeo, qui fieri poterit, ut Jcti tanti nominis erroneis hujusmodi præjudiciis, atque argumentis cardinem rei plane non ferientibus, mentes suas ita occupari, pæne dixerim, fascino, passim fuerint, ut a veritate hac in parte tam longe aberraverint. Sane hoc exemplo cernere licet, quid præjudicata valeant opiniones, quid leges et jurium dispositiones, perperam vel intellectæ vel adplicatæ. Quocirca nemo mihi vitio vertet, si veritate convictus in alia omnia ire haud verear, atque citra trepidationem asseram, Probationem per *Jurisjurandi delationem* non minus ac per testes ac documenta, in *causis matrimonialibus* indistincte locum habere, si veritas facti, ab adversa parte negati, probanda sit; sive pro matrimonio, sive contra matrimonium id fiat: sive super ipso matrimonio ac ejus promissione, sive de ejus *adminiculo*, v. c. litteris, osculo, arrha & similibus; sive *alterutri contrahentium*, sive *parentibus* intervenientibus; sive super *solo matrimonio*, sive super *matrimonio & concubitu* simul, delatio fiat. Sane jurisjurandi delatio species est probationis, æque ac probatio per testes ac documenta, quod nemo negat: cur non ergo & illa probationis specie in causâ matrimoniali auctori, ad probandam intentionem suam, uti liceret? (f) Magnus utique est favor probationis:

---

*gativi juramenti delatio, si admitteretur, cum absque testibus sponsalia contracta nullius sint momenti; frustra autem juramentum deferri non debeat. vid. CARPZ. l. c. n. 75. Itemque, quod periculosum videatur, arbitrio partis contumacis permittere, sponsalia dissolvere, & perjuri ansam dare, vid. SCHILTER l. c. §. 14.*

(f) Facit ergo huc etiam argumentum a CARPZOVIO l. c. n. 68. adductum, dum scribit: *Ex quo enim in causis indifferenter quibusvis*  
*locus*



tionis: Quid si Actor vel Actrix aliis probandi subsidiis destituatur, veluti, si testes, qui sponsalibus celebratis præsentes fuere, mortui sint, vel promissio matrimonii circa concubitum, remotis arbitris, facta fuerit: an non ergo satius fuerit, Actricem verbi gratia, ad probandam intentionem suam per juramenti delationem admittere, quam, denegato hoc probationis medio, spe omni matrimonii privare, atque adeo reum, qui, si jurare non potuisset, condemnandus ad matrimonium consummandum fuisset, absolvere? Annon hoc magis matrimonii favori, quem obtendunt, adversum est? (g)

B

Argu-

*locus datur jurisjurandi delationi, l. ait Prætori 3. §. quacunque actione. i. l. jusjurandum. 34. in pr. ff. de jurejur. hoc ipso etiam causas matrimoniales comprehensas, tuto asserendum: quia de nulla constat exceptione. Et cur exciperentur causæ matrimoniales? an quod summarie in illis procedendum? Atqui summarias quoque causas juramenti delationem admittere, diximus supra §. 1. Num propter gravitatem harum causarum? sed quæ graviores criminalibus? Et tamen prohibita non est in iis jurisjurandi delatio, si civiliter agatur. Quod argumentum cum generale sit, haud dubie etiam ad jusjurandum contra matrimonium delatum recte accommodatur. Ratio enim differentiæ, quam adfert, quod per delationem juramenti affirmativam de novo quasi contrahatur matrimonium, delatio vero jurisjurandi negativi ad dissolvendum tendat matrimonium, parum relevat. Sane, ubi de probatione sponsalium agitur, an celebrata sint nec ne? nihil minus partes, quam matrimonium vel de novo contrahendum, vel contractam dissolvendum, intendunt.*

(g) Admittit hac de causa etiam exceptionem a regula communis opinionis, quam præmiserat BRUNNEMANNVS in *Comment. ad L. 9. ff. de jurejur.* ubi ait: *Sed hoc ipsum tamen perpetuum esse non puto; quid si enim petens matrimonium nullam aliam habeat probationem, quæ de promissione fidem facere possit? Nam mihi non videtur absurdum esse, eo casu neganti matrimonium posse deferri juramentum. Conf. 7. Eccles. l. c. Consonat fere STRYKIVS in U. ff. M. l. c. ubi hæc habet: Quare si hic (nempe si de Sponsalibus agatur) juramenti delatio non admitteretur,*

tur,



Argumenta superius allata, a transactione nimirum super matrimonio prohibita, & matrimonio voluntate hominum non dissolvendo, cardinem rei haud feriunt. Alia enim est quaestio, ubi de matrimonio ipso iam contracto, sive nullo declarando, sive per divortium dissolvendo, agitur: alia ubi de matrimonio contrahendo, ejusque promissione, sive sponsalibus, disceptatur (b). Prior quaestio ad

*tur, occasio elabendi suppeditaretur illi, cui matrimonium displicet, & testes forte mortui, vel absentes sint, ut illis convinci nequeat. Quapropter omnino existimo, etiam neganti matrimonium juramentum judiciale deferri posse. Testatur quoque, hunc in modum a Facult. Jur. Hallensi A. 1701. responsum esse, quod postea a Facult. Jur. Rostochiensis approbatum fuerit. Eodem faciunt, quae magno judicio disputat atque tuetur Jurisconsultus judiciosissimus, Dn. de BERGER in Oeconom. Jur. l. c. ubi ait: Satis est, jusjurandum admitti negativum, quam cum alia desint probationis admicula, statim adversus matrimonium pronunciari. Et mox subjungit: Parum abest, quin ea opinio, quam vulgo receptam esse, dixi, a regulis rectae rationis deslectere videatur. Quam enim sententiam matrimonio magis dicemus, esse inimicam? eamne, quae defectu probationis ordinariae, reum negantem, a praestatione delati sibi jurisjurandi immunem pronunciat? an quae eidem illam imponit? satiusne est, reum, qui negat, jurejurando ad dicendam veritatem, sicubi pars, quae detulit, prius de calumnia juravit, compelli? quam eum plane impunitum dimitti: praesertim cum accesserit concubitus, in quo imprimis ceteris paribus, jure divino, matrimonii natura consistit? Observat quoque B. MENCKENIUS in Tract. Synopt. Process. Commun. & Sax. Disp. IX. §. 8. non ubique delationem juramenti contra matrimonium cessare; eo quod, coepta lite, de sponsalibus contractis contendatur & ambigatur; itaque, cum deferens ad juramentum calumniae praestandum obligetur, satis esse ducant, mediante jurejurando veritatem erui, auctore Judice, vice Dei, quam reum reamve simpliciter absolvi, & matrimonii spem extinguere, ob deficientes alias probationes.*

(b) Curate hanc differentiam quoque observavit JCtus illustris, B. STRYKIVS in U. M. l. c. ubi scribit: Ratio communis sententiae praecipua est, quia transactio contra matrimonium non valet, cap. fin. X. de transact. juramenti autem delatio vim transactionis habet. Verum confunditur hic



ad institutum meum jam non pertinet, uti ex controversiae statu, superius formato, facile apparet. De promissione duntaxat matrimonii adhuc contrahendi et per nuptias consummandi, sive de sponsalibus, hoc loco ago, et quousque jurisjurandi delatio in hujusmodi causa sponsalium locum habeat? disquiro. Iam vero cum in capitulo allegato transactio prohibeatur super ipso matrimonio jam contracto, sponsalia vero, sive promissio de matrimonio contrahendo, non sint matrimonium, siquidem aliud esse matrimonium contrahendum, aliud matrimonium contractum, quilibet, cui sanum senci-put est, facile intelligit, cum alias idem simul esset, & non esset: manifestum est, nullum ex capitulo allegato contra transactionem super sponsalibus duci posse argumen-

B 2

*hic matrimonium cum sponsalibus. Ibi conjuges unitatem carnis contraxerunt, ex qua vinculum per divinam institutionem indissolubile nascitur, quod transactione contraria tolli nequit. At vero idem vinculum in sponsalibus non subest, sed potius omne negotium in mera partium conventionem consistit, & sic dissolutionem ex iusta causa non respuit. C. 2. & 12. X. de Sponsal. v. Tract. de Dissensu Sponsalicio sect. III. d. 33. Frustra vero hoc nomine STRYKIVM taxat Perill. Dn. de COCCEJ. in Jure Controv. 2. de Jurejur. Qu 20. ubi ait: At quid hac aliud est, quam super ipso matrimonio juramentum deferre? sponsalia enim de presenti sunt ipsae nuptiae & probatis sponsalibus, necessario consummare stuprator tenetur matrimonium: adeoque uti nec ratione matrimonii; ita nec ratione sponsaliorum valet. Sed, quod pace Viri Perillustris dixerim, confundit is Sponsalia de presenti & de futuro, in sensu Juris Pontificii & in sensu Protestantium ita dicta. Loquitur B. STRYKIVS non de Sponsalibus de presenti, in sensu juris canonici ita dictis, sed de Sponsalibus de futuro, quæ sunt mentio & repromissio futurarum nuptiarum, & a nonnullis nostratium etiam sponsalia de presenti vocantur; hæc autem pro ipso matrimonio esse habenda, nemo Protestantium Dd. asseret. Conf. III. Dn. BOEHMERVS, qui l. c. §. 62. observat, errorem communem ex superficialia Sponsaliorum consideratione ortum traxisse.*



gumentum. Ut tacem, quotidianam docere experientiam, frequentissime in Consistoriis super sponsalibus iniri transactiones. Unde porro consequitur, si etiam principium istud, quod super quibus causis transigi non possit, super illis nec deferri possit iusjurandum, indistincte admittamus, nihil tamen exinde contra iurandi delationem super sponsalibus inferri posse (i). Pari ratione liquet, nec præceptum Christi hanc in rem allegari posse: cum istud itidem de matrimonio jam contracto, adeoque non de sponsalibus, sive de matrimonio contrahendo, agat; matrimonium vero nondum contractum non opus habeat, ut dissolvatur. Ceterum quod ad sponsalia attinet, tres potissimum quaestiones de illis in iudicio agirari possunt: primum, an sint inita? deinde an rite legitimeque, observatis iis, quæ ex præscripto legis observanda erant, inita sint? denique etiam si rite legitimeque inita sint, annon iusta subsit causa, cur iterum possint dissolvi? In omnibus hisce causis facile apparet, veritatem facti negati (k) ante omnia esse eruendam, atque ad liquidum, per probationem, deducendam. Ad hanc vero probationem effectui dandam, iuramenti delationem adhibere, quid vetat? sane nulla lex prohibitiva extat. Uberius quidem

(i) Rectissime etiam Dn. de BERGER in *Oeconom. Jur.* l. c. ita iudicat: *Argumentum, quod a transactione duci solet, animum vix explere possit, neque enim alterum ex altero consequitur: contra matrimonium transigere non licet, ergo nec deferri iusjurandum, nam facilius longe contra matrimonium transigitur, quam iuratur; cum quilibet memor salutis æternæ intelligatur. Imo contra matrimonium, siquidem, utrum tale unquam contractum sit, dubitetur, transactionem quoque iudicalem valere, nemo negat; & si quis neget, ex usu confutatur.*

(k) Spectat huc observatio Ill. Dn. BOEHMERI l. c. §. 61. in huiusmodi casu disputari tantum *de facto* seu *existentia sponsaliorum.*



dem latiusque hæc omnia deduci potuissent: nisi et instituti et temporis ratio esset habenda. Igitur filum hic abrumpendum.

\* \* \*

His ita præmissis, reliquum est, ut, ex more recepto, ea quoque, quæ ad personam & studia

NOBILISSIMI CANDIDATI NOSTRI  
 DOMINI  
 IOANNIS IACOBI  
 SORBER,

spectant, subjungam: quæ uti ab ipso conscripta, mihi que exhibita sunt, integra hic inferere non dubito. Ita autem ille:

**N**atus sum, scribit, Erfordix, in civitate Thuringix perantiqua, honestis parentibus d. XXIX. Septembris MDCCXIV. patre optimo, NICOLAO IONA SORBER, campanarum et machinarum bellicarum, privilegiis Reverendissimi Electoris Moguntiaci, constituto fusore et inspectore prædicatorum ordinario, matre vero Anna Barbara Kombergin, ingenti animi mei moerore ante aliquot annos jam defuncta. Ab hisce parentibus dilectissimis, ineunte statim ætate, multa tam pietatis, quam virtutum accepi præcepta, nihilque magis curæ fuit illis, quam ut animum meum a prima pueritia fidei Christianæ articulis imbutum redderent. Hinc domi instructione præceptorum fidelissima privata, inprimis M. SCHOENKOPFII, verbi divini nunc  
 B 3 ministri



ministri dignissimi, per decem usus sum annos. Dein ad altiora tendens, Gymnasium, quod Erfordiae floret, publicum, frequentare jusserunt optimi parentes. Ibi per tres annos sub directione Viri Consultissimi D. STILERI, ut & reliquorum Professorum, TIEMROTHII, LOZZII, HEVSERI, WEISSENBORNII & TENNEMANNI, in bonarum artium disciplinis magnos feci progressus; & sub auspiciis Rectoris Magnifici Viri Summe Reverendi, CHRISTOPHORI IGNATII DE GVDENVVS, d. XXXI. Ianuarii MDCCXXIV. in album studiosorum sum relatus. Quum igitur ex consilio parentum jurisprudentiae me consecravisssem, prius disciplinas juris ipsas quam inchoarem, universum Philosophiae cursum duce b. IVSTO CHRISTOPHORO MOTSCHMANNO, P. P. intra anni spatium absolvi; eoque finito, sedulo interfui recitationibus b. VOLCMARI WILHELMI STENGERI, P. P. & totius facultatis Senioris. In explicatione Institutionum Iustinianearum sequutus sum principia Viri Excellentissimi atque Consultissimi D. SCHORCHII. Denique florentissima Musarum sedes, quae Ienae est, d. XXI. Aprilis MDCCXXXII. sub regimine academico b. Viri Illustris BVRCARDI GOTTHELF STRVVII, in sinum me recipiens, per octo annos integras tenuit. In disciplinis philosophicis clarissima Facultatis Philosophicae adscriptos b. KOEHLERVM, KROMAYERVM & FABRICIVM, audiui. Institutiones erudite me docuit Vir Consultissimus D. DITHMAR. In historia juris, collegio STRVVIANO, LAVTERBACHIANO, jure canonico, feudali, criminali, jure publico & exercitiis practicis, magistros mihi elegi Viros Magnificos, Illustres atque Excellentissimos, KEMMERICHIVM, b. STRVVIVM, b. BRVNQVELLIVM & HEIM-




HEIMBURGIUM, Patronos meos omni observantia cultu colendos. Dein Viri Consultissimi D. STENGERI interpretationibus doctissimis sedulo interfui. Ex quorum virorum celeberrimorum ore tantum profeci, ut præterlapsò quadriennio discedere & ad patrios lares revertere potuerim. Quum autem patria non suppeditaret animi delicias, adepta adprobatione paterna, Academiam nostram Salanam anno M DCC XXXVI. iterum petere, consilium coepi & jussu agnatorum doctissimorum, ex ore Viri Illustris SCHAUMBURGII, manuuctionem ad artem relatoriam egregiam accepisse, mihi gratulor. Reliquos annos in accurata repetitione consumens, Celeberrimorum Jurisconsultorum tradita propriae reliqui meditationi. Tandem Illustri Jurisconsultorum Ordini ea, qua par est modestia, desiderium meum exposui, & ad consueta examina admissus, data licentia, sub præsidio Viri Magnifici & Illustris IOANNIS GEORGII ESTOR, Patroni mei pie devenerandi, dissertationem meam inauguralem continentem Vestigia juris germanici in jure canonico & quidem cap. I. X. de sponsalibus, de odio in matrimonia inæqualia & restricto jure nobilitatis germanicæ, quod ad connubia, defendam. Hæc ille.

Cum igitur Candidatus hic noster Præstantissimus egregia in Examinibus, ex more, subeundis, ediderit eruditionis suæ juridicæ specimina: aditum ipsi ad summos juris honores patefacere, atque hunc in finem ad Disputationem solemnem, sub moderamine prælaudati Viri Illustris atque Consultissimi, Domini IOANNIS GEORGII ESTOR, Consilarii Aulici Saxo-Isenacensis, atque Antecessoris in hac Academia Celeberrimi,



mi, proxima die IX. Aprilis publicæ disquisitioni subiiciendam, admittere, nulli dubitavimus. Quem actum, ut MAGNIFICVS Academiae PRO-RECTOR, ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITES, nec non PROCERES ACADEMIAE, *Hospitesque* omnium ornum Honoratissimi, denique *Cives Academiae* Generosissimi ac florentissimi, honorifica sua præsentia splendidiorem velint reddere, & meo, & ordinis nostri nomine, qua par est observantia ac humanitate rogito.

P. P. Ienæ, die III. Apr. M DCC XL.





155053

8

AB 155053

Vol 894 31









13

HERMANNI  
RICHII, IC.

MR. ERNEST. CONSIL. AVLICI,  
NAT. PRAESIDIS ORDINARIII,  
ON. ASSESSORIS ET ANTE-  
IN ACADEMIA IENENSI,  
T. PRO-DECANI,

R A M M A

DE  
TIONE:  
ANDI DELATIO  
ATRIMONIVM  
LOCVM?

NI INAVGVRALI  
VRIVM CANDIDATI  
ACOBI SORBER,  
VRTENSIS,

MANICI IN IVRE CANONICO  
I. X. DE SPONSALIBVS  
DE

O I O  
IA INAEQVALIA  
IVRE NOBILITATIS  
VOD AD CONNVBIA,  
IBENTI,  
MISSVM.



O. FRIDERICI RITTERI.

